



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. VI. Argumentum. Corona Cretensis à Telemacho & Mentore recusata.
Aristodemus Mentoris suasu electus in Regem. Reditus Telemachi turbatus
à Neptuno. Naufragium & in insulam Calypsus eiectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

putà pacem & disciplinam populi, habeant in postremis. Verùm me sensisse cum Minoë, pronuntiarum à Senioribus.

Qui inter eos eminebat, elata tunc voce: Video, inquit, Divinam atque in insula nostra decantatam fortem impleri. Minoi quippe ex Diis, quos consultebat, intelligere volenti, quamdiu vi legum, quas modò condiderat, Cretæ essent præfuturi ex suis, responsum est: præfuturos, donec legum istarum cultor aliunde gentium advenerit. In hunc usque diem metus erat, occupatum iri ab alienigena insulam. At quid Oraculum sibi voluerit, Idomenei fato sapientiâque ex Ulyssè geniti, in intimos legum nostrarum sensus admissi, edocemur. Quin abiicimus moram, & altiori Numine destinato nobis Regi Coronam imponimus?

TELEMACHUS.

LIBER VI.

NEc mora: Soluta consilio ex ambitu sacri nemoris proceditur. Primas tenebat, qui me educens manu, populo, longiore mora sententiæ iam fatigato, enuntiat, ceteros mihi cessisse acumine respondendi. Finito hoc nuntio incerti mox fremitus tota concione oborti. Deinde etiam à singulis in me inelamatum cum lætitia, vocibus ad omnem maris oram circumiectaque iuga montium relatis: Imperet ex Ulyssè, compar Minoi genus!

Momenti intervallò silentium poscebam manu. In quod dum paullatim concionis fervor desinit; Mentor admotus auri: tunc, inquit, renuntiare patriæ?

patriæ? Postponere Penelopen, quæ te expectat
opem suam, throno? postponere Ulysssem, quem
tibi impertiri decreverant Dii? haud inutiles hæ
voces fuere, magnùmque adversùs regni cupidi-
tatem subsidium. Interea planè conticuerat vario
motu discincta multitudo. Itaque dicere sum or-
sus: Indigno parebitis, Cretenses nobilissimi,
indigno parebitis, si mihi. Divina sorte, quam
affirmatis oraculo editam, fati quidem palàm est,
movendos regno Minois posteros, aliunde ven-
turò, qui incolumitatem sanctissimis legibus eius
hic gentium curet. At regnaturum hunc adve-
nam, non est responsum ab oraculo. Dabo, si ita
vultis, me esse de exteris, quem fors illa destina-
verit. Et certè, quod à Numine enuntiatum, im-
plevi. Nam & aliunde huc veni, & quem habe-
bant germanum sensum leges, exposui. Deos
quæso, faciant mea interpretis verba ita vobis usui
esse, ut cum his legibus imperet futurus Rex. Ego
verò Ithacam, in qua cæpi vivere, peto. Huius
angustias Insulæ, & paupertatem centum Cretæ
urbibus præfero, opibusque splendidissimi istius
Imperii. Sinite me, quæ fata destinârunt, sequi.
Certavi in ludis vestris haud sanè, ut imperem, sed
ut admirationem vestram misericordiàmque pro
meritis subsidium à vobis consequar strenuè red-
eundi in terras, quæ me genuere. Habeat in me
Ulysses genitor subditum, Penelope dulcis mater
solatium potiùs, quàm orbis terrarum principem.
Habetis, Cretenses, verè quid sentiam. Abeun-
dum à vobis mihi. Ceterum ab officio grati in
vos animi non priùs, quàm ad manes abibo. Imò
numquam (ita vivam) numquam hic animus à Cre-

tenſium gente alienus, & eorum & ſuam gloriam affini ſtudio proſequetur.

Simul finem dicendi feceram; ſimul, ſublato ſtrepitu, qualem comitata ventis maria ſolent edere, alii: iſtène, inquiunt, humanâ formâ Deus? alii extra patriam ſuam me vidiffe & noſſe contende-
bant. Nec deſuère multa vociferatione poſtulant, vel invito imperandum mihi. Reſtaurabam ſermonem. Protinus aures ab omnibus & diligentiffimè datæ, incertis videlicet, num mutato conſilio, quæ offerebantur, admiferim. Hæc porrò dicebam:

Date mihi Cretenſes hanc veniam, ut quæ ſint in animo meo exponam. Equidem nihil eſt uſpiam gentium, quod ſapientiæ veſtræ poſſit comparari. At puto ſapientiæ alio opus conſilio, atque vos nunc decreviſtis uti. Regem creare oportet haud fanè, qui leges optimè novit interpretari; ſed conſtantiffimè, legibus quæ iubentur, exſequi. Ego verò maioribus annis deſtitutor, & horum veriffimo ornamento, experienciâ. Inſtat iuveni inimica cupiditas: urget animm̄ eius deterior affectio. Atque iſ ſum, quem adhuc obedire, non imperare decet. Alioqui nunquam ſalutaris Rex ero. Hominem igitur eligite, qui ſe ipſum, non alios exercitatione corporis aut ingenio vicit; cuius in animo leges inſcriptæ, moribus expreſſæ ſint; cuius denique non verba, ſed opera ſuffragium pro corona à vobis expoſcant.

Seniores una voce approbarunt meam ſententiam, populique ſecundæ admurmurationes augebantur. Itaque illi ad me: quandoquidem Dii non permittunt, ut à te petamus imperia; at certè
fac

fac regem exhibeas, qui legibus nostris se una nobiscum subiiciat. Agedum, virum si nôsti, cui ea spe deferre coronam possimus! Ad quæ continuo! Novi ego, aiebam, quem iisdem, quas admiramini in me, pollere dotibus non puto, sed scio. Sapientiam eius, non me ex me audivistis loquentem. Instrumentum ego fui, quo verba prudentissimi illius hominis ad aures vestras pervenerunt.

Id sermonis omnium oculos deflexit in Mentorem; quem prehensum manu exhibebam concioni, referens, quam pueritiæ meæ impendisset, industriam, reiectaque per eum à capite meo discrimina, & ærumnas, quæ post neglecta eius consilia plerumque mihi incidissent.

Atque ille quidem tum à levi & parabili cultu corporis, tum à moderato oris habitu præter summam vocis parsimoniam, sedatæque ac consideratè agendi rationem eò ferè usque in concione negligebatur. Nunc verò eum inspiceretur de industria, ipso vultu deprehensum est nescio quid solidi excelsique. Apparebat ille vigor luminum, illa vis & robur animi, quæ omnia opera eius, & ipsa adeò, quorum tenuitas curâ solvit humanam industriam, confirmabant. Interrogatur multis; suspicitur: rogatur, imperet. Recusat ille nihil mutato animo, asseverans, sibi solitariam vitam utcunque vilem regalî potiore: verissimè infelices esse, qui coronas ferrent. Nam & bonum, quod vellent, plerumque omittere; & sæpe in malum, quod nollent, adulatione impelli. Addebat, miseram servitutem credi; at neque regibus deesse, quod deslerent mancipia: uno eos differre titulo. Regem numquam ita esse sui iuris, ut pen-
dere

dere non debeat ex illis hominibus, quibus, ut imperata subditus & diu faciat, sit opus. Gratulatus deinde omnibus, qui carerent imperandi necessitate: Uni, inquit, patriæ petenti, ut impere-
mus sibi, acquiescendum, & abdicandum libertate, ut publicæ operemur saluti. Aliunde oblata fas est sine piaculo recusare.

Ea res Cretensium admirationem exhaustit. Denique petentibus, doceret, quem eligerent: Eligite, inquit, qui & vos (quoniam vobis est imperaturus) noverit, & ne vobis sit imperaturus, me-
tuat. Aulæ novitius & tyro est, imperare qui velit. At si novitius, si tyro: qui ritè præstabit Regem? Suâ causâ in desiderium coronæ impellitur; quando non alius quærendus, nisi quem unus amor vestrî in folio reponet.

Cretenses cum dignitatem regiam, aliàs humana desideria operamque fatigantem, viderent contemni à duobus advenis, haud facile dictu est, quantum in stuporem inciderint. Ardebant scire, quocum venissent in Insulam. Nausicrates (is enim à littore ad Amphitheatrum, ubi celebrabantur ludi, progressos secutus erat) digito Hazaëlem designat, qui nos ex Cypro secum deportavit in Cretam. At longè amplius accessit publico stupori, cum nuntiaretur Mentor primò Hazaëli servitutum serviisse, verùm perspecta sapientia & virtute, eidem dehinc à consiliis & in supremo amicitia fuisse gradu. Atque istuc olim mancipium aspernari nunc regnum. Hazaëlem autem impellente studio sapientia profectum Damascô Syriae, huc venisse terrarum, ut Minois leges perdisceret.

Igitur neque à te impetrabimus (ira Seniores ad Hazaëlem) nobis imperare ut velis. Idem cum Mentore sentis videlicet. Imperandi voluntatem extinguit in vobis nimius contemptus hominum. Nec opes quantumvis magnas, nec diademata ducitis tanti, ut ea emere laborum, quibus numquam vacat thronus, pretiò sit libitum. Contra Hazaël: Alia, viri sapientissimi, nec homines contemni à me, credite. Numquam hanc ego mortalibus iniuriam fecerim. Humanæ felicitatis iustitiæque adiutores quàm sint divini, haud quaquam ignoro. Sed & illud, sine molestia, sine periculo tales esse non posse, satis scio. At enim insignis hic titulus. Inanis tamen est, & uni delectandæ superbiæ. Arctiora sunt vitæ spatia, quàm quæ sufficiant implendis cupiditatibus, quas gignit ambitio. Longinqui ex patria itineris præmium non bona, quæ noceant, peto; sed his bonis carendi præcepta exquiro. Valet! ceterarum rerum cogitatione abiecta, eo me redditum vitæ solitariæ atque tranquillæ. In solitudine mentem hanc alet sapientia: ibi spes melioris vitæ, quam virtuti ominamur post fata, molestias senectutis absterget. Mihi si imperabitur optio, non sceptrum, non coronas legam, sed istorum, quos coràm aspicietis, hominum duorum perpetuam societatem.

Ad ultimum Cretenses conversi ad Mentorem, impensè rogant: Ediceret post hominum genus natum prudentissimus unus maximusque, ecquem ipsis suaderet Regem? nisi edoctis de utiliter habenda electione incolis, eum haudquaquam dimissum iri ex insula. Ad hæc Mentor: Vidi, inquit, immixtus spectatorum multitudini hominem unum, quem

quem

quem nec fervor, nec cupiditas succendebat. *Ætas* illi gravior, at abunde sufficiens rebus, quas cum laude robur iuventutis gerit. Percontanti mihi, quis esset, significabant, Aristodemum dici. Fuere subinde, qui (quòd ego hisce auribus audivi) eidem referebant, duos filios eius inter luctatores esse. Ad quæ ille nihil lætior, audere sobolem, quod alioquin genitores delectat: magno opere se precari, aiebat, alter ne imperet, quoniam semper periculosum imperium; alter verò ut unquam imperet, se, quoniam unicè amaret patriam, ne quidem commissurum. Ex quibus ego quidem intellexi, eum rite deditum esse filio, qui probitatem sectatur, neque facilem alterius dissolutæ consuetudini.

Crescente rei tam insolentis studio in vitam eani istius hominis cœpi inquirere. Fuitque ex civibus, qui indicaret interroganti: Aristodemum ferme senuisse sub galea. Argumenta virtutis obsitum cicatricibus corpus ostentare. Ceterum à candore probitatis (inquit) & quòd nihil auribus dabat, gravis Idomeneo fuit. Neque in Troiano bello opera eius utebatur rex, veritus ab eo salubriora consiliâ, quam quæ ipse sustineret sequi. Erat illi præterea adversus ob æmulationem famæ, qua ominabatur proximè illustrandum. Omnem igitur memoriam deposuit ab eo fideliter navatæ operæ. Reliquit in insula coniectum in extremas familiaris rei angustias, incultæque & abiectæ plebis (quæ unam admiratur magnificentiam) ludibrium. Ille verò æquissimè tolerat paupertatis mala. Solitarius in insula locus est, ubi collocavit familiam. Terram suis ipse manibus colit. Laborum

rum

rum eius particeps est alteruter ex filiis, quocum amantissimè vivit. Felices ambo, quippe ex vivendi temperantiâ instructi fati, unde moderatè & simpliciter vivant. Pauperculis ægrotantibus in vicinia cedit ex penu, quidquid reliquum facit utriusque misericors necessitas. Ille otium iuventuti eximit: urget monitis: præceptis instruit; omnium accolarum arbiter, & circum habitantium familiarum communis pater; nec aliunde infelix, nisi quod secundò genuerit degenerem filium. Quem à perdita quidem vita revocare quàm diu tam piè conatus, fatigatâ demum monendi patientiâ, paternis ædibus proscripsit, ambitionis & insanæ voluptatis iam non recens mancipium.

Hæc mihi civis vester. Quæ si vera (quod idem non ignorabitis) ludos cum tanta ignotorum etiam hominum celebritate ob eligendum regem repetendi causam nullam reperio. Habetis in corona vestra virum & popularem, & peritum belli, & hostium, omnique hoste terribilioris victorem inopiæ; virum, qui ditari noluit adulandi obsequio, qui averfatur otium, qui agriculturam, unicum ferè ad conservandos populos subsidium, æstimat; virum aliàs nec resolutum luxu, nec mutandum superbia; imò qui nec proli paternâ indulgentiâ blandior in altera virtutem amat, flagitium detestatur in altera. Et ut verbò dicam: habetis virum, qui genti suæ patris vicem iam præstat. Ecce hunc vobis regem, hunc dominum, si verum, si sincerum desiderium vos in Minois leges accendit.

Ex tota concione responsum: vera dixisse de Aristodemo. Mereri sceptrum. Ergo seniores iubent

iubent eum adesse. Vulgo celebritatis sese adiunxerat. Ex quo conquisitus quieto tranquillôque vultu constitit; auditôque, se imperaturum: Nisi tria mihi dabitis, inquit, Rex vester non ero. Decedam videlicet post biennium throno, si insistentes hodiernis moribus vestris leges violabitis. Deinde in simplici, continenti sobriâque ratione vivendi perseverabo. Liberi denique mei nullum inter alios principatum tenent: post fata mea in ordinem redacti reliquorum civium more nihil præter meritum capeffunt.

Sub has voces diversissimi clamores sublati lætitiæ assensûsque fecêre indicium. Diadema (Regale ornamentum) Aristodemo imponitur à principe Seniorum, qui tutelam gerebant legibus. Cæduntur Iovi, Diisque victimæ. Nos ab Aristodemo donis colimur præter magnificentiam luxûmque Regis, ingenuâ tamen & vel ab illustrissimis expetenda simplicitate. Hazaëli leges Minois datæ, inde etiam pretiosæ, quod scriptæ auctoris manu. His epitomen Cretensis Historiæ adiecit Rex, quidquid Saturni aureâmque & nostram ætatem intercessit temporis, complexæ. In navem eius omnis generis illati fructus, quos à bonitate Cretenses æstimant, Syri etiam à novitate admirantur. Insuper, quæ necessitas exigeret, illi cumulâtè promissa.

Nobis nihil perinde ac festinatus abitus erat curæ. Ergo navigium iubet instrui Rex nautasque exercitatissimos imponi cum milite: vestes quoque & commeatus pro nobis eò comportari. Hæc dum fiunt, ecce tibi flare venti, laturo in Ithacam. Hazaëlem iudem, utpote adversi in
Syri-

Syriam tendentibus, detinuere. Itaque discessus nostri spectator non socius, amicos eosque visurus ultimùm, amplectitur, atque: Iusti sunt, inquit, Dii. Nôrunt conciliante virtute hanc inter nos amicitiam coaluisse. Erât igitur, cùm aliquando nos coniungent loco, dabúntque ut, ubi perpetuæ securitate pacis fruuntur iustorum manes, eos inter æterno nexu spiritus nostri misceantur. Atque utinam cum cineribus vestris meos sic misceat fatum! Hæc excidebant flenti effusiùs; vocem quoque gemitus fregerant. Neque nos vacabamus à lacrimis. Sic unà progrediebamur ad portum.

At Aristodemus: Propter vos, inquit, nunc regnum accepi. Cogitantes igitur, quantum mihi à vobis accersitum periculi, rogate Deos, ut illustratus verâ sapientiâ (quam cœlestes largiuntur) prudentiæ ac mansuetudinis laude tam præeam ceteros, quàm auctoritate & potentia. Vos autem Superi, quos precor, in patriam dignentur reducere nullo itineris malo, fastúmque eorum, quibus invisi estis, cumprimere. Addant complementum beneficiorum suorum, Ulyssis & Penelope suæ, nullo imperantium hoste, aspectum.

Navem tibi damus, Telemache, fidelem ac tutam. Nautas ac milites à nobis habes, quos etiam adversariis Genitricis tuæ oppones. Tibi vero, Mentor, super non est, quod aur desiderem, aut deprecer. Sufficit viro bono sapientia, & abunde sufficit. Ite uterque! valete! mementote Aristodemi, Ithacensibus, si vi externa opus, venturi, dum viveret, auxilio. Sermonem nostro utriusque amplexu clausit. Gratia à nobis inter obortas lacrimas reddite. Inter

Inter hæc opportunè flantes auræ velis se nostris admoverunt cum spe facillimi itineris. Iamque Idæ fastigium ad tumuli speciem, è terra leniter surgentis, deflexerat. Recesserant è conspectu littora, & in occursum nostrum videbantur Peloponenses oræ procurrere: Cùm nihil tale opinantibus offusa tempestas cælum omne eripuit. Eiecti fluctus existente turbine: occupabat lumen nocturna fœditas, omnium præter mortis imaginem exstinguens. Scilicet Tridentis tui imperium, Dive Nereu, universos tum undarum fluctus movit. Usque adedò nobis viluerat Veneris Numen, ut nec in templo, quo Cytheræ colitur, eam deprecaremur. Ergo ulciscendi voluntate acrior delapsa ad Neptunum, aperto dolore, & effusiori, quàm Pulchritudinis ocellum deceret, fletu; id quod cœlestium non imperitus Mentor affirmabat: Siccine, Neptune, inquit, pateris ab istorum improbitate hominum contemni Numen meum, potentiam meam; & impune hoc pateris? Tu, Divique ceteri sentitis, quid valeat Venus. Et infulam meam disciplinamque damnare hæc mortalis temeritas? iacetat scilicet, quanta in mortuos cadit, sapientiam; putatque ab hac alienari, quisquis amat. Regnum ergò tuum oblivisceris natale exstitisse Veneri? Incunabula mea profanare par istud homuncionum, exosum mihi, vel momento finis?

Hæc ita Neptunum concitârunt, eoque mox iubente pelagus, ut cælum ipsum furentes spumæ lacefferent. Ridet ergo amarissimum risum Venus, certa futuri naufragii. Propellimur in cautes violentia procellarum, quibus se vinci multo terrore profi-

profitebatur, qui regebat navem. Uno præcipiti-
que flatu diffringitur, præcipuum nobis subsidi-
um, malus; protinusque aures omnium vectorum
cœperunt acutissimè perstringi crebro carinæ ad
supremos latentium scopulorum apices afflictu.
Quo passim laxatæ compagine attulere exitium,
ingenti vi aquarum admissa. Inter miserrimos
nautarum eiulatus Deos deprecantium depresso
navis paulatim omnes destituit. Hæc inter ego
Mentorem amplexus: Instat Mors, aiebam. Eia!
occurramus fato non timidi. Servârunt nos ex
tot periculis Dii, ut perdant hodie. Age moria-
mur amice, moriamur! triste mihi non est, perire
te socio. Furit cœlum: Frustra amolimur exitium.

Quid autem tunc Mentor? Sincera fortitudo,
inquit, numquam desperat emergere ex malis.
Æqua mente satis non est parare occursum fato,
timere non oportet mortem, sed nec eius aver-
tendæ quid occasionis negligere. Quin tu hoc
transtrum insigne, istuc ego arripimus? dùmque
isti, magnitudine periculi & terrore amentes, ma-
lunt iacturam vitæ inter inutilem luctum præsto-
lari, quàm prævertere salutari industria: nos, ut
ne hauriamur à pelago, actutum curamus? Si-
mul malum iam ruptum vi tempestatis, inque
alterum latus navigii tota mole incubantem peni-
tus decussit, atque in mare devoluto eo libratum
in efferatos fluctus corpus excepit; invocato no-
mine me cohortatus, ut idem auderem. Vi-
disses proceram quandam arborem, concitatis
omnibus Æoli viribus illudentem radicum fide,
planèque præter tenerrimam sui partem, folia,
immobilem; tam præsentem videlicet, tam alacri
H placi-

placidóque ac sedato animo Mentor perseverabat; veluti ventis pelagóque non obnoxius, sed præpositus. Ego (quis enim tanto monitore torpuerit?) ad eum rite captato saltu desilii. Quisque sibi nauta & gubernator erat in natante malo. Egregium hoc periclitantibus auxilium permittebat, quo consideremus, locum, defecturi utique maturiùs, si cum undis assiduè fuisset luctandum. At quoties intemperie maris factum, ut versante, cui infidebamus, trunco, revoluti in pontum invito ore traheremus amaros latices, per distortas postea fauces, nares, & aurium etiam meatus redditos; suscipiendáque esset cum undis contentio, ne prohiberent in superiorem nauticæ arboris partem eniti! quoties, pelago cumuli mole cervicibus nostris superfuso, corpus stipiti applicandum erat validioribûs lacertis, ne unicam hanc salutis nostræ fiduciam tor tamque violenti aquarum assultus excuterent.

Iniquissimo hoc rerum articulo non minor erat Mentori tranquillitas, atque nunc confidenti hoc tantæ amœnitatis loco. Credísne, inquit, Telemache, salutem tuam permissam tempestatum licentiæ? extinguendam Diis nolentibus? erras, & maximè. A Diis ordinantur, quæ fiunt. Illi timendi, non undæ. Existis inter pelagi immensas abyssus? évades inde, si velit, Iovis manu. Sideribus altior Olympum tenes? volente Iove aut imas in abyssus, aut Tartarum puniendus æternis flammis fues.

Admirationi hæc, cui attendebam, vox mihi fuit, neque nulli solatio. At suspensus adhuc ægritudine animus non sufficiebat in responsum.

Pro-

Prohibebamur mutuo aspectu. Nox tota exacta trepidatione & algore succussis artubus. Hærebamus adhuc in altera duntaxat parte vitæ; incerti, quo propelleremur ita turbulento aëre. Tandem, desæviente eo, minui periculum cœpit, & paulatim leniri maris ferocitas; superstitæ æstu irato similis, qui fessus ex pervicacioris mentis intemperie sibi redditur, hærentibus adhuc quibusdam ex bile reliquis. Nihil tum audisses præter tenuissimum fremitum pelagi, & immanes fluctus eam ferè in speciem resederant, quam aratrò scissæ terræ fulci faciunt.

Inter hæc Aurora soli aperire viam, nobis diem ante alios serenum. Ardebat innoxiiis ignibus matutinum cœlum, quæmque diu fulgorem condiderant stellæ reddebant, submotum deinde oriente Phæbo. Terram quamquam procul conspiciamus, eamque versùs ventis iam secundis promovemur. Tum ergo spem animo renatam meo gratulabar. Ceterùm ex comitibus, quos Aristodemus dederat, nemo apparuit. Desperata salute, credo gurgitibus unà cum navî abreptos periisse. Nos autem, cùm iam vicinior esset crepido, ad rupes unda declinavit: prominebant in apices capita, quibus timor fuit ne contunderemur. Sed iunctâ operâ fulcrum nostrarum animarum, malum, inquam, rectâ infestæ cauti obvertimus, Mentore rude lignum, qua optimus quisque nauta gubernaculum peritiâ, moderante. Ita averfis ab hoc interultima non spernendo malo ora se obtulit amœno & æquabili tractu, præter quam facillimò natatu processimus, donec ambos unda arenis applicuit. Ibi à Te, magnum Numen conspecti, ibi in Insu-

lam hanc tuam tam benignè admissi, tam benignè accepri fumus.

TELEMACHUS.

LIBER VII.

Postquam Telemachus se hac narratione expedit: Nymphæ mutato obtutu, quem in iuvene defixerant nec corporis motu eatenus interpellatum, inter se aspicerere, dehinc loqui cum stupore cœperunt: Ecqui tandem hi Diis tam dilecti homines? ecuius ad aures umquam pervenerunt tanta fatorum prodigia? ab Ulyssè vitam accepit. At tu à nato tuo incrementum facundia, sapientia, fortitudinis, genitor, cape! quæ moribus compositio. Quæ ori species? quàm leniter perseverantes vultus? quæ modestiâ? & (quod primum) quæ agendi nobilitas? quam apta ad excelsa indoles? nisi constaret ex mortali genitum, error vix sit, aut æternæ iuventutis Bacchum, aut Maiaæ filium, aut Apollinem credi. Et Mentor iste quis est? ad rudem obscuramque plebem eum obtuitus simplex amandat; acrior autem & ex propinquo quid nescio divini in illo reveretur.

Hi ferè sermunculi turbavêre Deam, ut nec præsentis pavor eius fefellerit. A Mentoris ad Telemachi, ab hoc ad illius vultum divertebat inconstans oculus. Interdum hortabatur, ut, quæ narrasset, ordiretur de integro; paulo post idem destitit petere, suo ipsius interciso sermone. Ad ultimum repente digressa loco, in quo federat, myrtis confitum nemus sola intrat cum Telemacho: scrutatur ex eo, quantum licebat Divinæ
faga-